Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



bnedixit ac fregit deditq; discipulis suis ⁊ ait. Accipite
⁊ comedite hoc est corpus meum. Et accipiens calicem
gratias egit ⁊ dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes.
Hic est enim sanguis meus noui testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem uobis non bibam amodo de hoc genimine uitis usq; in diem illum cum illud uobiscum bibam nouum in regno patris mei. Et ymno dicto exierunt in montem oliueti. Tunc dixit illis ihesus. Omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim. Percutiam pastorem ⁊ dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero precedam uos in galileam. Respondens autem petrus ait illi. Et si omnes scandalizati fuerint in te ego numquam scandalizabor. Ait illi ihesus. Amen dico tibi quia in hac nocte ante quam gallus cantet ter me negabis. Ait illi petrus. Etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo. Similiter ⁊ omnes discipuli dixerunt. Tunc uenit ihesus cum illis in uillam que dicitur gethsemani et dixit discipulis suis. Sedete hic donec uadam illuc et orem. Et assumpto petro ⁊ duobus filiis zebedei cepit contristari ⁊ mestus esse. Tunc ait illis ihesus. Tristis est anima mea usq; ad mortem. Sustinete hic ⁊ uigilate mecum. Et progressus pusillum cadit in faciem suam orans ⁊ dicens. Pater si possibile est transeat a me calix iste. Veruntamen non sicut ego uolo sed sicut tu. Et uenit ad discipulos ⁊ inuenit eos dormientes. Et dixit petro. Sic non potuistis una hora uigilare mecum. Vigilate ⁊ orate ne intretis in temptacionem. Spiritus quidem promptus est caro autem infirma